

Petrus d Vinea

*Ep. II 13 (Furiosam
superbiam et superbam...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus d Vinea

*Ep. II 13 (Furiosam
superbiam et superbam...)*

primavera 1246

Pisanis, ut procedant uiriliter contra Lucanos.

1. Furiosam superbiam et superbam furiam Lucanorum, qua succensi feruentes se contra Deum et Romanum Imperium erexerunt, superfluum esset per singula litteris recensere, quam iam latius diuulgatam uos credimus non latere. 2. Sed nos quosdam excessus eorum nolumus sub silentio preterire, ut celsitudinis nostrae zelati honorem, et abominati uerius iniquitatem eorum, ad nostram et Imperii uindicandam iniuriam et illorum insolentiam edomandam, exsurgatis uiriliter pariter et potenter. 3. Cum enim iidem Lucani ad occupandam terram Imperii de... nequiter inierant, pluries eos monuimus in spiritu lenitatis, ne tantam nobis irrogare molirentur iniuriam et iacturam. 4. Sed illi monitis nostris blandis superbe contemptis, iniquitatem, quam conceperant, parientes, predictam terram hostiliter inuaserunt, in ea multa enormia committentes, unde, ne tantam iniuriam noxie negligere uideamur, materialem gladium exercuimus in eosdem ipsos, tamquam inimicos Imperii prescribendo, mandantes ipsos prescriptos ab omnibus artius euitari et sperantes, quod percussi dolerent et attriti nostram misericordiam implorarent. 5. At illi, malleum uelut stipulam reputantes, ad percutientem malleum noluere conuerti, sed in edomabili corde timentes, excessus excessibus cumularunt, pro uerbis penitenciae uerbis superbiae blasphemando. 6. Quia uero ipsorum superbia semper ascendit, donec eam exurgens iustitia iudicio preueniat et subuertat, ut contritione duplici conterantur, sinceritatem uestram rogamus attente, quatenus eosdem Lucanos, seueritate debita percellentes, eis interea faciatis fidelium nostrorum commercia interdici aliasque

procedatis acriter contra ipsos sicut melius uidebitis expedire.